



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LX. De S. Bernado Senensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Hist. Eccles.
an. 1118.

Belgæ *een egge*, vocant. Lakenfis Ecclesia ad aquæ ductum Bruxellenfem, vulgò, *de Vaert*, addit ei in manibus clauis Ecclesiæ fuæ, eò quòd in ea custos velut alter Neopotianus feruierit. Notabile est quod ex Chronicis Brabantia de eius sepulcro refert noster Dion. Mudzaert, nempe cùm Onulphus Anderlehti Dominus visis mirabilibus signis quæ circa illud diuinitus quotidie fiebant, in mandatis dedisset duobus è suis subditis vt locum sepulturæ eius sepe aliquâ à bestiarum incurfu concluderent, illi illuloricè ad se inuicem dicentes; Concludamus hunc senem nuper defunctum intra hanc sepem ne à nobis procul aufugiat; diuina puniti dextra vires corporis amittentes, alter maximis in tormentis sequenti nocte, alter totus furibundus & phreneticus postridie obiit, confessus in pœnam ludibrii sancto viro irrogati se à Deo puniri. Plura qui desiderat de miraculis eius, glorioso obitu, alijsque, videat apud iam dictum Mudzaert, vbi & subiicit beatam mortem ac alia miracula S. Wonodolphi olim Decani Anderlacensis quo cum S. Guido iugiter peregrinatus est, comitem peregrinationis in terris, & nunc verò æternæ quietis in cœlis nactus.

C A P. LX.

De B. Bernardo Senensi.

SVprà dedi S. Bernardinum Senensem Ordinis Minorum alumnum, nunc ex eadem patria Bernardum profero Ordinis montis Oliueti conditorem. Ioannis nomen ex Sacro fonte acceperat, natus Senis ex nobilissima Ptolemæa familia. Iurisprudentiam factus Doctor, *summa*

ſumma cum laude profeſſus eſt. Cùm aliquando publicam
 habiturus diſputationem in grauem oculorum ægri-
 tudinem incidiffet, Sanctiſſimam Virginem Deiparam pre-
 catus eſt vt ſibi lumen & priſtinam oculorum ſanitatē in-
 terceſſione ſuâ reſtitueret, ſe illius famulatui, relicto ſæcu-
 lo in perpetuum addiceret. Compos ſtatim voti factus, lo-
 co lectionis ſeu diſputationis grauē habuit de ſæculi huius
 contemptu concionem, atque in maxima auditorum fre-
 quentia quæ ſibi accidiffent narrauit. mox promiſſionis
 memor, rudi amictu veſtitus vrbeque egreſſus ſe in Mon-
 tem Oliuetum contulit. duo nobiles Senenſes eodem pro-
 poſito vitæ ſanctioris eum inſecuti ſunt. ibi ædicula cellu-
 liſque extructis Ordinis fundamenta iecit facultatibus ſuis
 ei dicatis, aſperam in ieiunijs, vigilijs & orationibus vitam
 agens. Quadam die inter orandum ſcalam vidit ad cœlos
 vſque pertingentē, angelosque descendentes, monachos
 alba toga indutos per ſcalam ad ipſum angelorum regem
 Chriſtum eiulque genitricem Mariam candido amictu ful-
 gentes deducere cōſpexit. Cùm multi indies ad eum diſci-
 puli confluerent, æmuli quidam ſanctos viros tamquā hæ-
 reticos apud Ioannem XXII. Auinione in Gallia agen-
 tem detulerunt, qui eos accerſiuit, & perſpecta ratione eo-
 rum viuendi, ad Guidonem Aretinum Episcopum eos re-
 miſit, qui innocentibus regulam præſcriberet Sodalitatif-
 que inſtitutum authoritate Apoſtolica approbaret. Episco-
 pus itaque cùm ſibi ſanctiſſima Deipara ſecundum quie-
 tem albis induta veſtibus & Angelis circumdata, habitum
 album & regulam S. Benedicti ei porrigens, apparuiſſet,
 recentemque Congregationem commendaffet, illos inter
 Miſſarum ſolennia in Eccleſia Cathedrali die 21. Martij
 anno 1319. habitu candido induit eiſque regulam S. Bene-
 dicti præſcripſit. Congregationi autem, titulum Sanctæ
 Mariæ Montis Oliueti, & Ioanni, nomen Bernardi in-
 didit.

didit. Bernardo autem primatum detrectante, Patricium ex Patricia Senarum familia, primum congregationi Abbatem præfecerunt. Sed postea hoc & duobus ex ordine alijs defunctis, rursus Bernardo vel reluctanti dignitatem Abbatis Oliuerani detulerunt, illo nihil interim de pristina vitæ austeritate remittente. quod munus dum 27. annos fideliter administrasset, Religionē multum propagata & Apostolica autoritate confirmata, Senis dum suis monachis pestilentia, quæ tunc ibidem grassabatur, infectis, proprijs manibus sollicitus Pater inseruiret & ipse peste percussus, spiritum Deo reddidit, quem pro nobis deprecando ab eadem nos dignetur suis meritis præseruare. Vide Abrah. Bzou. anno 1348. & alios quos ipse ibidem citat. Dies felicitis eius obitus annotatur i. i. Kalend. Septemb.

C A P V T LXI.

De S. Ludouico Galliarum rege.

Baron. in
notis ad
Martyr.
25. Auguſt.

SANCTUS Ludouicus eius nominis nonus & regum omnium quadragesimus tertius Christianissimus Francorum rex, regali sua corona etiam hunc sacrum chorum exornabit. hic de Galliarum regno si quis aliam optime meritis, magis satagebat se legitimum Dei famulum quam potentem regem exhibere. Non hic atrox vitam eius illibatissimam & ne vlllo quidem noxæ lethalis næuo vnumquam inquinatam. sat illa apud omnes in confesso est. Morbum frequenti excepit hospitio & maiore semper beneuolentia quia dicebat numquam hunc hospitem aduenisse quin insignem fortitudinis & iucunditatis nummum persoluisset. Annum agens in regno 20. in eundem grauissime incidit, quo tempore (exemplo gloriosissimi nostri Godofridi